Opuscula

LEO
SIGNUM COELESTE,
In Firmamento Seraphicæ Religionis
à Patre Luminum
ACCENSUS,
Quem ingrediens
Sol Iustitiæ Sacris inflammavit radijs,
DOCTOR SANCTISSIMUS
BONAVENTURA,
S. R. E. CARDINALIS,
ARCHIEPISCOPUS ALBANENSIS,
Ad Annuam Festivæ Lucis Revolutionem,
In Basilica S. FRANCISCI Conventûs FFr. Min. Cracoviæ,
A Devotissima tanto Sideri Vrania,
Erectis debitæ Sanctorum Cultui pietatis & affectûs
Parapegmatis
OBSERVATUS,
Et à
M. NICOLAO OCHOCKI,
In Alma Vniversitate Studij Generalis Cracoviensis Phil. Doctore & Professore,
Scholæ S. ANNÆ Seniore,
STYLO ORATORIO
DEMONSTRATUS.
Anno Leonis de Tribu Juda super Terram Victoris, 1703.
Pridie Iduum Julij.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Rndiss. Dni Episc. Cracov. Ducis Severiæ; necnon Scholarũ Novoduorscianarũ Ordinarij Typogr.

Stat ferri acies Mucrone corruſco. Stricta.

Virgil. 2. Æneid.

Sole laceſsita & lucem ſub nubila jactat.

Idem 7. Æneid.



Clarior quanto micat Orbe pleno,
Cùm ſuos ignes cóeunte Cornu
Iungit, & curru properante per nox
Exerit vultus rubicunda Phœbe.

Seneca in Hippolitum.

Pura nec obtuſis per Cœlum Cornibus ibit.

Virgil. 1 Georg.

Phœbeæ lampadis inſtar.

Idem 3. Æneid.

Illustri ac Magnifico Domino,

D. CASIMIRO IOANNI OCHOCKI,

PATRUO DIGNISSIMO,

ac

MECÆNATI AMPLISSIMO.

Divinâ Augusti Majestate Leonis Seraphici laudibus Sacrum modicum hoc ingenij opus tantò audentiùs lucem publicam adspexit, quantò majori Tuæ Munimine gratiæ potentiùs primâ facie Gentilitijs *præcedentibus Armis, nihil adversum infestumq; sibi occurrere formidat,* Magnifice Domine. *Licèt enim Sacris Eminentissimo Fulgoribus Astro, devoto illius observantissima Cultu allaboraverit mea Umbratilis Urania, exindèq; luce maximâ circumfundi videtur, & favore Numinis propitio elevati ad supera alta studio animi,*

mi, quùm inter tot Lumina obversetur Cœlestia. Satìs ideò collustrata desuper prodit in oculos cunctorum, avidiùs, lucida quæq; spectantium & quò securior umbram Terreni Livoris evadat. Satis Leo defensor Tutelæ ministrat: nihilominùs ut spectatissima magis everberet lynceas animorum pupillas, & publici Argum judicij, acuens lumina rectè sibi intendere faciat, geminatis à Nativi Luminis Fonte splendoribus Tuis circumdari, & augeri poscit. Nihil equidem convenientius duxit, quàm luce signatum æthereâ id omne, quid & quantumcunq; illud munere Deum in brevem mortali facundiâ apotheosim Signi meliore Polo radiantis proferre licuit, Magno Nomini Tuo dicare, & quidquid lucidum hìc cernitur, in obsequij gloriam Cultu officioso impendere. Nec licuit aliter mihi, & spes Tuas, & mei partes officij accuratiùs implere, nisi hoc, quod Communio Sanguinis jubet, contendam Venerationis literariæ munus debitum, Honori Tuo deferre. Ita omnem qua in me Tuus fertur affectus, propensionem dignatione hac præmiare è voto gratitudinis, & ampliùs Tuæ patrocinium gratiæ mereri, simulq; parvæ huic Opellæ decus & pretium comparare videor. Ergo Tuis sub auspicijs prodiens, gratiam cunctorum in oculis inveniat, exilis apparatus eloquij laudibus Doctoris SS. Cœlo tenùs assurgens eluceat, adauctus majori luminis incremento. Fave huic in sinum Tuæ gratiæ reclinis umbræ, Sacræ lucis Comiti, quam Lux Sacra Leonis spargit super terra, tanta visibilem magnitudine, quantam pagina hæc capere suffecerat. Quam dum placido gratus animo recipis, me cæpto favore & patrocinio fove, intimi magnitudine affectûs Tibi devinctissimum,

Qui sum

Nominis & Honoris Tui

Observantissimus
ex Fratre Nepos,

M. N. O. Ph. Doct. & P. S. S. S. A.

ORATIO.

PRincipem Animalium, quem ſuper Coloſseo ignotâ mole ſpectandum Amphitheatro, æſtifera dono naturæ miſit Lybia, non ſolo tantùm ſuſtentari, aſt etiam fulgidâ non abſimilis imagine formæ, celſo radiare Polo, Superni Spectator Attonitus prodigij, eatenùs mirari non deſinit Orbis AA. Equidem illi Sapientum vetuſtiſsimi, quibus quantumvis Cœli regione remotis, ſuperas aſcendere domos, menteq; Deos adire licuit, plus quàm humano ſublimem evecti in axem ingenio, cum tacitis labentium curſibus aſtrorum continuos obitus ſpecularentur & ortus, undiquaq; ſparſorum confuſam luminum multitudinem, ordine miro ſignatam, numero determinatam, multiformi diſtinxêre Ectipo, adinſtar viventium cum Stellis vocamen dedêre. Hinc Arcturum, Hyadas, Geminosq; Triones, Oleniæ Sydera Capræ, & Ariadneæ Cœleſtia dixêre dona Coronæ. Quod verò maximi intereat, viam Solis duodenis placuit definire Signis, quibus non ſinè myſterio convenientia, cum Animatis impoſuêre Nomina, etiam Nemèós quondam pavorem Herculeum Leones, inter æthereas Animalium effigies, lucentesq; Signorum flammas locavêre. Enimverò cùm ita liberè oberrat per convexa Polorum, celſaq; ſcrutatur phænomena curioſior pupilla, protinùs major rerum ſupernarum admiratio, in ſublime eluctatum ſuperirruit animum, ingentem rapit in ſtuporem, unàq; omnes hoc in loco Ter Maximo Numini Sacro præſentes commovet. AA. Nimirùm aliud, quod nos ſacratiori circumvolvitur ambitu Cœlum, tantò viſibili præſtantiùs, quantò ab eo remotiùs Superis viciniùs aſſurgit, & mortalem fugit aſpectum, à Patre luminum accenſis fulgidum ignibus, Seraphicæ Religionis Firmamentum. Aulam hanc ætheream tot ardentibus Stellarum agminibus, quot lucidis Sanctorum imaginibus decoram admiratus, ſimulac umbræ terrenæ gravata pondere lumina, ſursùm iterato attollens, adamantinis infixa Orbibus, diù immota tenerem curam anxius, obnixo corde premerem, quidnam ſuperno Divina luſerit potentia miraculo? Arcanum tandem ſupremæ favore propitio intelligentiæ edoceor ultra ſpem, votumq; cunctantis vox ab alto levi nubium delata murmure, allabitur talia perſonans auribus: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Divino percitus Oraculo, tantò celeriùs fervidiori ſciendi in ſublime fertur animus deſiderio, quantò vehementiùs tollitur novæ rei prodigio, quam etiam Cœli Seraphici teneat partem Doctor SS. BONAVENTURA, tunc maximus quærendo labor, fatigabit fortaſsè vel ipſius Siracuſij Senis ſpeculatorem oculum, minimè exnunc, cuncta qui luce majori ſupereminet celſior aſtra, quantum mortali attingere fas eſt pupillæ, illabitur lumine Sacro, fixus Polo Seraphico, intra Orbitam Solis Iuſtitiæ,

motu regulari perpetuus, totus undiquaq; Sidereâ fulgidus Imagine, ſtupenteq; naturâ, tantam Metamorphoſim, non hominis ampliùs figuram, quàm terris mortalis vixit amictus præſeferre, ſed ignei Leonis ſtellatam indutus formam, lucidumq; decorem geſtare, ſui pars fulgentiſsima Cœli, aureo conſignata Sidere, omnibus viſibilis apparet.

Ergo qualis quantusq; à tot Sæculis Orbe ſuo mobilis Aſcetica Dioptrice, à rerum Cœleſtium Scientiſsimis obſervatus, talis tantusq; mihi munere Divûm è voto devoti animi, ad ſuæ lucis annuam Revolutionem publico feſtivæ laudis indice & parapegmatis, quæ Sanctior Vrania cultûs honoriſq; Divorum, Studioſiſsima ſui commodavit ſpectantibus monſtrandus, totâ voce atq; ſpiritu Suadæ Vniverſalis dicendus venit Doctor SS. Hic eſt à proximis Solis Iuſtitiæ flammis accenſus Divinis, ſuper Firmamento Seraphico BONAVENTVRA, Leo Signum Cœleſte. Cæterùm immenſo tuæ percellor lumine gloriæ, quantùmvis ex obliquo tantùm umbratilis Tui Spectator, Beata Seraphici Portio Cœli. Quidnam de Te Summo loquar Doctore? quò plus deſidero, minus reperio, verborumq; copiâ laborans deficio, quia tamen quoddam ſimile hominum in Te advertere licet, ab humanis laudibus id alienum eſſe non debet, ideòq; patiare in luce Sanctitatis Tuæ ſplendidiſsima reverentis, adorantisquè mortalis facundiæ umbram, quam Tuæ radio gratiæ firma, in Tuas aſsurgentem laudes erige votis ſupplicibus precor. Puſilli tenuem umbram Eloquij, Supernæ lucis Comitem, firmitati ſuæ innixam, veſtræ ſumma claritas Sapientiæ tollat ex adverſo, & iuvet altum ſurgere, benequè terminari in Culminanti Leone.

Stellantis arduus vertex Olympi vaſto complexus ambitu, Sector æquidialis obliquus, volvat inexhauſto motu aurea mundo Sidera, hominum diverſos variantia caſus, antecedentes Principem aſtrorum, & ſubſequentes, perpetuo deferat gyro Signorum flammas ardentes, eidem axem Poloſq; non abſimilis Zoophorus, ſanctiori Signorum Divino lumine fulgentium diſtinctus ordine, ſuperexcelſo Seraphicæ Religionis firmamento decurrere advertitur. Quòdſi etenim gens priſca mortalium altâ mentis indagine in æthereos ire ſueta meatus, lapſuræ pondera terræ, rapido Cœlorum credidit fulciri rotatu, ideòq; adamantinum illud lucidi Firmamenti robur, circumquaq; ſuppoſuiſſe Deos cenſuit, & quò fortiùs tam grandis compages ſtabiliretur, explicato medium ejus cinxiſſe Zodiaco, ut immenſitatem inferiorum, vitamq; Orbis ſuperior mobilis ſervaret immobilem, teneretquè claudendo perennem. Quidni maximè verum clariori documento liquet, quia Supremus rerum Opifex, in medio aquarum multarum, ſcil. in circuitu tot gentium, nationum, populorumq; novum Seraphicis ignibus ardens ſuſcitavit, ac terris immani ſcelerum pondere nutantibus, ne ruerent ſubduxit Firmamentum, cujus altitudini ſummæ etiam lucidum ſuperimpoſuit Signiferum, quo firmitatis ſuæ robur ſtaret æternùm, quo mobili portentoſæ centrum gravitatis immobile ſalvaret. Nempè Seraphici lucida faſcia Cœli ſublimi renidet arcu, Divini

ſemi-

semita fulgoris medio, cujus purpureum suevit pergere iter terrarum, Superumq; ParensTer Maximus in lucem, qui Sæcula fundit super hac Orbita,magnum gratiarum circumvolvitur annum, vultuq; placido terris affulget serenissimus, ipsiusve supremo parere nata imperio novo radiantia Polo gratiùs astra nitent. Firmamentum hoc gaudet, eundem decurrere super Signifero gratiosissimum Phœbum, qui in lucido Empyrei circuitu Cœli, sua irradiat Signa, idem Fons lucis immensæ, unus sufficit omnibus, ubiq; præsens, universa complexus, sacro cujus accensa lumine defert obvia Signa Divorũ sedibus æmula, attollens mystica culmina Seraphicæ Religionis. Quæ si erit nonnemo Astrorum peritus, hoc supermedio Cœli, quo Phœbus evehitur Orbe, ubinam aurato fulgeat Vellere Nephelejus portitor Helles, & huic adversus unde surgat Tyriæ, per undas vector Europæ, num utrisq; succedant gemini Tyndaridæ, timidis opem ferre soliti navibus, cæteraq; consequentia Signa, quonam hìc vertantur ordine? Sed absit Sacris profana miscere, cedat Orthodoxo Divorum Cultui errorum inventrix Gentilium superstitio,cum suis abjecta Deastris, quos falsa mortalium opinio in Cœlos retulit, perennibus astrorum flammis insignivit, altaq; Numina vano Divinitatis mendacio dixit. Hic qua stellatis cingitur nexibus Seraphicus æther, Sacratiora præcedit astra illud Animal innocens, à DEO in victimam electum, cui nomen ab ara venit, Caput primumq; Signiferi principium, à quo tulit omne punctum, cæpitquè regulariter moveri, quâ suâ patet circumferentiâ, Seraphicæ Religionis Firmamentum. Agnus inquam ille mitissimus, omnis centrum humilitatis, qui nunc altum præradiat, factus major omnibus, qui semper minor videri solebat, clarissima lux Minorum. Conformis huic, lumine, motuq; pariter mansuetudine Agnus, fortitudine Leo, in Cœlum Seraphicum translatus, primis Solis Iustitiæ succensus ignibus, Divinior Theumesius ardet Sanctissimus Doctor BONAVENTVRA, & quia nemo Cœlestis, nemo Divinus in terris, nisi priùs vitam agens mortalem, gesserit immortalia, nisi Cœlo digna fecerit,merueritq; inter astra referri. Ipse namq; Iupiter altum quòd possideat Cœlum, est aliquod meriti spatium, Doctor Sanctissimus totâ vitâ dignum se Cœlo, dignum alto Iove probavit, heroâq; virtute evectus, ad magni tecta Tonantis Phæbiq; iter permensus, stetit arce supremâ, jamq; micantibus collucet Stellis, totus flammeus Leo, Signum Cæleste, & ne meo tantùm judicio talis appareat, qualem dicere fas est rerum magnitudine gestarum vita sua laudabilis, quâ fortissimus Leo probatur, fidem publicam evincit, testemq; Orbis Conscientiam appellat.

Magnanimus rationabilium hic Rex Animalium, maximè humano intellectu pollens, in terris nasci debuit, quò probaretur, fortior majorq; emineret, positus inter sua majestate minora, non aliter, ut Stella surgens ab imo Horizontis conspicitur, & quò speciosiori formâ visendus, in lucem prodiret communem, locus, insigne cui Regiæ nomen dedêre Balneæ, illi nascendi sorte contigit Superna ad Regiam Solis Iustitiæ destinato Leoni, ut vigil præ fo-

 ribus

ribus oculis excubaret apertis: Non in horridi antro deserti, Athlanteisquè præruptis hunc Leonem foveri existimes, sed ad Hesperij imas radices Olympi, cujus vertice summo innixa supereminet omnes celsissima Petra, super qua ædificavit sibi Sapientia domum Increata. Leo hic ad supera alta evocatus, terrenas diù non sustinuit auras, quibus sibi nimiùm noxijs affectus languere, ac ultimis viribus deficere cæpit, nec aliter pristinæ restituitur sanitati, donec omne robur suum ministerio Summi Deorum in altis litare voverit. Nimirùm, ad sublimia natus, infima hæc non potuit incolere, ut viles solent animæ, sed generosâ indole, heroicoq; animo præstans, eniti usq; ad summum ejusdem culmen Olympi debuit. Nec moram patitur, igneo vigore fervidus tendit in ardua, per quævis obstantia ruit audentior, ac tandem excurrit in celsum ætherei montis fastigium. Quem protinùs advertens Sanctior Apollo, Venator Divinus, amor impatiens, sua tela formosum vitare Leonem, illũ directis configit jaculis, ictuq; cor vulneratũ igneo protinùs inflammat, jamq; totum emorientem mundo Leonem in superam æternùm beatèq; viventium regionem transferre parat. Novum super terram stupuit attonitus Orbis, felix, quando hæc Numinis præda animata nobiliore spiritu dulci saucia vulnere revixit. Magnis in sublime procesit passibus, decus, honoremquè æthereum ut assumeret, qui illum immersis eripientem sese obtutibus circumstare, ultrò citròq; visus ambire.

Atq; ut decrevit antè, statuitq; æterna Deûm hominumq; potestas, futuris poscentibus meritis, æstimatæq; virtutis pretio, ipso facto renovans mirabilia, Leonem hunc in lucidum novâ metamorphosi transmutat Astrum.

Munus habe Cœlum, Cælo spectabere Sidus.

Hinc protinùs laxatur Machina Cœli, spontè rutilæ patescunt fores, rectam citatis ignibus rumpentes viam, suorum densiores Orbium partes undiquaq; concurrunt agmine multo,

Invitantq; novum Sidus, pendentq; vicissim,
Quas partes velit ille sequi, quibus esse Sodalis
Dignetur Stellis.

Sed ipse Stelliferi Maximus Rector Olympi, fulgido luminum super Orbe Minorum Leonem, sacris Divini amoris succensum ignibus, posuit axe novo mobile Seraphici Signum Zodiaci BONAVENTVRAM. Opus hoc admirabile excelsi, quod Secula cuncta stupebunt, illicò votis & gratijs, coronârunt gaudentes Superi, ac per cuncta Sideri novo faventes consentesvè dedêre manibus lilia, plenis super aridam mortalium sparsêre puniceos imbres. Officiosæ ergo lætitiæ plausibus, totus insonuit æther, & sudo venêre nova gaudia Cœlo. Doctâ sonorus pennâ, nubesq; transcendens Magnus ille Tonantis Ales in Cœlo Seraphico fixus, aureâ luce Scientiarum, novo præfulsit astro, viamq; signavit usq; ad summum. Ingenuo fervore callens mactè secutus Leo, in quo Divini vis ingenij, & capacitas summa enituêre, festinabat maturè, finitoreque surgens ab occiduo, postquam Orbe suo decurreret Olympiadem,

piadem, inchoaretq; ſequentem, culmen attigit primum Pariſino ſupermeridiano, ſtetit in auge altiſsimæ cognitionis, totiq; mundo Divinæ humanæq; Sapientiæ lumine clariſsimus, Doctor SS. refulſit. Indubitatâ fide tenetur auguſto quodam velamine, tecta immenſæ lucis abyſſus, Divinæ jubar Sapientiæ ſuper terræ faciem explicuiſſe, quando æternum in Exedris Verbum ore humano locutum, ipſius exemplo tanti Diſcipulus, Imitatorq; Magiſtri, Orbem ſui Doctoratûs laureato paſſu emetiens, Gymnaſiarcha Leo, alia proximiora ſibi Cœleſtia Corpora, copioſo doctrinæ lumine colluſtravit abundè. Doctor Cœleſtis librum explicuit Sententiarum, ac tandem ter revolutus axe, in puncto Coronam laboris abſolvit. Nimirùm cum ſupernis familiariùs agens intelligentijs, quidni factus Sol animorum intelligentiſsimus, ob ſublimitatem mentium ſupergreſſus, quam Cœlo tenùs exporrectam illimitati radio eloquij, altiùs extulit usq; ſuper æthera. Nempè loquuntur etiam Sidera, ac perorant, ſed luminis Oraculo, quod non in oculos, ſed in mentium pupillas deſcendit. Ad inviſam his, qui in evanida rerum temporalium luce apricari gaudent, noctis religioſæ umbram ſibi conterminam, usq; adeò majori claritate refulſit, ut Summi Luminum Patris arbitrio, voto concordi, & deſiderio Cœli Indigetum Seraphici eligeretur, inter ignes Princeps flamma minores.

Præivit ad Divini nutum Imperij, obedientiſsimus Ductor, Siderum Leo, prodijtquè in ſpeculum & exemplar Sanctitatis ac Innocentiæ, aſsumens novam ab aſsiſtrice Sedium Supernarum gratiam & fortitudinem, diffuſo in immenſum ſplendore, eliminabit id omne, quidquid in Stellis obſcurum ac tenebroſum Lynces terreni adverterent Tanti Muneris ſpectatiſsimam altitudinem continuatis, ſublimium gradibus tantiſper ſuperabat, donec eniteretur in augem ſummæ perfectionis Verticalem nunquam ſatis demirari potuit Narbona, quemadmodum ille ſpecioſo præradians lumine ponè ſequentiũ agmenStellarũ æthereũ regulariter pergere iter docuit, rectaq; tendere motu perfectiſsimo inOrbem æternæ beatitudinis monſtravit. Ideòq; ad præcedentis illius Phænomenon lucidum Agni, qui primo inchoatum, claudit ultimo, Signiferum puncto Seraphicum direxit, porrexitq; curſus aſtrorum, ne fixa toto errarent Cœlo. Verùm quantò celſior, tantò minor apparere cæpit, ac inter cuncta minimus aſtra contendit haberi, ut potè qui tantus videri noluit, quantus eſſe meruit, radios ideò condere in admiſſam intimiùs umbram debuit, omneq; lumen non ad oſtentationem exerere ſolitus, ſed publicis, totius Stellati uſibus commodare Orbis. Ita, cùm ad medium eluctaretur maturo paſſu culmen Olympi Leo ecce vigil, nitido eidem patefecit ab Ortu purpureas fores, & plena roſarum atria, conſurgens aurora Solis Iuſtitiæ anteſignana, & Parens SS. denuncians, Fontem æterni luminis proximè imminere Leoni, hìc protinùs ingentem devoti affectûs concepit ferventi pectore flammam, erga ſalutiferum Phoſphorum, ſuaq; rursùs contendenti lumina, feſtinans occurrere properat, Sacrumq; Divinioris Matutæ fulgoribus aureum jubar advertit.

Hauſit Divæ tantus fervor dilectionis, ſtudiumq; devoti obſequij, ideò ultrò citròq; eidem approximata, ut Muſis ſuevit, amica ſemper haberi, ita

Cœlestium Alumno Musarum, & Custodi intima, sui Honoris centrum immaculati in purissimo corde Leonis posuit, Diviniq; Deam amoris quidni in Leone manere decuit, nam hæc proximè venturi Solis IustitiæTantæ Majestati par Soliū suscitare debuit. Et jam subsequens AuroramSerenissim⁹ ImperatorSiderū, qui nuper aureoVellere Sidus corruscū, medium cùm ascenderet Orbem, visitaret, atq; geminatam æthereo lumine lucem transiens, in summo tandem Altissimus egit Solstitium TropicoCœli Seraphici. Convertitur ad obvium sibi Zodiaci Signum Leonem, quem vix primo pulsavit radio, exnunc tantoperè Sacris ignibus inflammavit, ut maximos quos transmissos reciperet, vix sustinens æstus, totum incaluisse Orbem fecerit? Ergone post ingressum Solis Iustitiæ, in sua intima ardenti sufficit Leoni, eidemq; Doctori SS. quia sublimior cæteris ita prælucet astris? Phœbeis flammeus ignibus super Firmamento Seraphicæ Religionis? minimè en cui igneus vigor inest, maximâ pollens activitate, consequens antecedit Signum illius Virginis, quæ terras ab unione veræ fidei avulsas, luciq; Supernæ rebelles deserens, in Cœlo Seraphico protunc locum fixa securum Astræa Divinior Supremi Regnatoris Sponsa, palmari hanc velocissimus præcurrere passu, semper ubiq; contra ire, audentior Leo Defensor potentissimus. Hæc ausus heroici, tantæq; dexteritatis gratissima Regio quâ fulget amicta Syrmate, investit eundem Sacro Novæ Ductorem Militiæ paludamento, Murice tegit & Ostro, ut esset pulchritudo & decor indumentum ejus, quò nimirùm augustior Majestas tenebrarum alumnis horribilior ethereæ lucis in purpura emineret. Dignentur ut libet Cœlestiū Indagatores titulis cognomineq; varioSigna obliquo sese vertentia ordine? Leo hic nuper inCœloSeraphico mobilis, hactenùs purpureâ luce refulget Cardinalis, vel ideò, quia super terram MilitantisFiliæTonantis Antesignanus Albanensi culminat supermeridiano Celsissimus, Purpurati honoris fastigio Eminentissimus; Ita undiquaq; luce adauctus maximâ, quas in se Divini dotes animi robur & fortitudinem æstimavit, dilexit, Vicaria Numinis in terris potestas, diù hæc probari luculento specimine non distulit. Nimirùm contra tenebrarum opera, & cæcutientes ad æternæ veritatis lumen Alcalaphos ivit, ivit palàm & apertè heros pro DEO, Fide, Religione, arma lucis indutus, ostenditq; animum fortissimus, qualem in alto non gemmis, sed justis pro Ecclesia fulgoribus, in Purpura corruscare decet. Tristi illâ temporum nocte, quam sustinuit terrarum Princeps, Orbis amor, Gentiumq; Domina, enituit, ac illustriùs apparuit Stellantis jubar Leonis, cui studium indefessum erat, omnimodè prospicere securitati, resq; dubias in tuto locare. Grande illud, verèq; Divinum subijt negotium instaurandæ pacis, nectendæ unionis Summus altitudine heroici animi Mediator Orientem Occidenti conjunxit, medius inter utrumque. Abyssalis enim, quæ ex ore Altissimi prodijt Sapientia, in ore Leonis aurea Stella refulsit, cujus splendorem immensum Cymmerij tenebriones non potuère ferre, non aciem contrà intendere, pallere juxta ac rubescere forti percussi radio, omnes trepidi, & Sacro horrore perfusi, improba vota damnare cæperunt. Alij tantum admirati in lumine Numen, instante Leone acerrimo propugnatore, deditis in obsequium fidei animis,

mis, Victricem adoravêre Deam. Si Lugdunensi Præsidentem Concilio meminisse juvat, ita ab eo cuncta sunt gesta, ut Sole clariùs collustrantis agenda, nihil magnitudini animi, nihil constantiæ & fortitudini, nihil consiliorum sublimitati addi potuisse, ipsa invidia tantam exobscurare lucem impotens obstructis faucibus fateretur.

Stupuit in Seraphico quondam Conspicuus Cœlo Sol Aquinaticus, Leonem Divinis radiare flammis, cum quo toties amico convenire solebat, lumine adinvicem conferre, quæ in utroq; eminebant, Signo Sanctitatis expressa. Contigit, cùm Leo primi Minorum Principis astrorum viam signaret, cursumquè sub Finitore vitæ mortalis, quem Cosmico absolverat motu, Sol ille retrocessit continuò, ne Sanctum imperantis impediret laborem. Surgens ab Occiduis Iberiæ finibus lux clarissima gemini Sideris, quod Divinus conjunxit amor, veriùs quàm mutuis amplexibus stringere sese videntur Fratres Helenæ Lucida Sidera. Geminatum hunc fulgidi splendorem astri quis meliùs imitari, verâ laudum claritate prosequi potuit, quàm Leo Divorum Cultui addictissimus. Vtq; FRANCISCVM ANTONIVS, sic ANTONIVM BONAVENTVRA sequentia Signa vicissim mutuis sese collustravêre flammis, Lumenq; priori, posterior commodabat demonstrativum, quò magis uterq; inclaruisset Orbi. Astrum hoc fulgentissimum, Luce quâ superstes inclaruit, maximè in linguam desijsse facundam declaravit, quâ Cœli adusq; Seraphici enarrant gloriam DEI. Neminem latet, Astra vitam animamq; infra Lunam positis ministrare, eademq; cooperari naturæ causis. Hoc non extra miraculum, vitâ functis fatorum vi pulsam gelido cadaveri reddere animam, inquè corpus emortuum vitæ spiraculum reducere: Quis hæc potuit, ni DEVS ille fuerit? Potuit Leo Thaumaturgus, quia in eo Fons Vitæ sedem posuit. Purpuratus hic lucentis splendor, & apex Leonis, fulgorq; Divinus, quia in Vestro cernitur Eminentissimus Olympo, Seraphici clara quotquot micatis Sidera Poli. Vobis exindè surgit maximus honor & gloria, tantæqvè felicitatis munus, hodiè totus gratulatur Orbis. Signum hoc quòdsi tantoperè benigno gratiarum influxu faveat terris? quantò Vobis proximis ignibus pariter in Firmamento Seraphico à Patre Luminum accensis præstet? non est recensere humanum. Verùm tamdiù mortalis umbram Eloquij spargere licuit, quamdiù à terrarum finibus celsiùs elevari visus, qui jam summum tenere Cœlum devoto observatur affectu Leo, & cùm in Supremo Cœli Seraphici Culmine meridiat, Divinis evectus honoribus, extinguit omnem, nullamquè patitur umbram lucis suæ comitem. Ergò libens, eòq; felicior immensitate Sacri fulgoris obruitur umbratilis facundia, cùm hîc omne lucidum disparear, quodnam obscurum fandi genus crescet multitudine verborum, ut debitas plus ultrà assurgat in laudes. Quare fave benigno gratiarum Lumine, labentibus succurre rebus Polonis, hactenùs in turbido sortis sinistræ positis, dextrum Sidus appare. Frange radio forti omne robur mali, quod ab Aquilone contra innocentem Aquilam venit, afflictis sponde cuncta bona ventura.

D I X I.

ODE VOTIVA
Ad Magnum Christiani Orbis Patronum.

DIve quem pulchræ renitentis Auctor
Lucis æternus, Iubar elevatum
Extulit terris, ſociavit Aſtris
Luminis auge.
Axe Cœleſti poſitus videris
Aureum Sidus radiare, flammas
Principes inter, Leo Dux, coruſcis
Ignibus ardens.
Debito Magnum colimus Te honore,
Supplicum votis faveas, precamur,
Gemmeos Cœlo riguo Patrone
Funde ſuper nos
Gratiarum imbres. Populus ruentis
Imperij rebus petit, ut beatis
Sedibus celſus meliora mittas
Tempora ab alto.
Iam ſatis noſtras mala ad usq; terras
Aggravant, quæ nunc querimur gementes
Mole ſub tanta: ſcelus expiandi
Suſcipe partes.
Quod dabit Summus Tibi Rex Deorum
Spe bonâ, tandem venias micante
Luce candentes humeros amictus
Augur Apollo.
Verte ſtellatam faciem refulgens
Ad laborantem Arcton, & arduis fer
Rebus ad præſens placidus Polonis
Sidera dextra.
Sanctiori Tu rutilans Olympo,
Turbidum Cœlum Lechiæ ſerena;
Componas motus, Tonitruq; belli
Poſcimus aufer.

